

Respondendum est 1) verissimum esse quod exercitium potestatis clavium supponit homines viventes, non quidem vita habituali, sed vita actuali, fidei nempe, spei, contritionis etc. quam solus Deus per gratiam suam impertitur, et qua vitae collatione ostendit se esse principem vivificatorem animarum. Neque aliud docere volunt Patres, qui eo spectant ut demonstrent fontem omnis vitae spiritualis esse Deum, Deumque esse causam principem remissionis peccatorum.

2) Exemplum Lazari eo pertinet ut doctrina eadem, quam modo indicavimus, confirmetur. Non est vero postulandum ut similitudo in omnibus conveniat; sed quemadmodum ministri vere solverunt Lazarum, ita Sacerdotes vere solvunt a peccatis peccatores iam per fidem et poenitentiam viventes. Quod Gregorius M. hom. cit. docet his verbis, rem declarans: « Causae pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quae culpa praecessit, aut quae sit poenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio praesidentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis, quod bene quatruiduani mortui resuscitatio illa significat... Ecce illum discipuli iam viventem solvunt, quem magister suscitaverat mortuum. Ex qua consideratione intuendum est quod illos nos debemus per pastorem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quae nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati ». Cf. damnatas propositiones Baii 58^m, 64^m negantis distinctionem inter vivificationem, qua inchoatio vitae per Dei gratiam inspiratur peccatori, et vivificationem, qua idem vere iustificatur et palmas vivus in vite Christo efficitur.

3) Ambrosius solum ibi negat Sacerdotibus ius ex propria auctoritate, vel potestatem principem, non vero ius ex potestate delegata; id enim probat, quia non in suo sed in Patris, Filii et Spiritus S. nomine peccata dimittunt.

4) Quod Hieronymus contendit eo in loco illud est, non posse Sacerdotes pro arbitrio suo solvere et ligare, sed oportere ut causas perpendant et dispositiones peccatoris considerent, ut illum ligent, qui ligandus est, quemque proinde Deus iudicat esse ligandum, illumque solvant, qui dignus est absolvi; secus eorum absolutio invalida erit, neque eam ratam Deus habebit. Ad declarationem autem huiusmodi iudicii, quod instituendum est a Sacerdotibus, adducit exemplum Sacerdotum veteris legis. Verba Hieronymi sunt: « Istum locum Episcopi et Presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnare innocentem, vel solvere se noxios putent. (Reprehenduntur scilicet qui ex arbitrio

indignos remissione volunt absolvere vel innocentes aut absolute dignos volunt damnare. Haec de sententia sacerdotum in utroque foro possunt intelligi). Cum apud Dominum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. (Hic est scilicet finis intentus, propter quem et potestas facta Sacerdotibus). Legimus in Levitico de leprosis etc... Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit Episcopus et Presbyter, non eos, qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates (ergo peccatores solvuntur) scit qui ligandus sit, quive solvendus ».

5) Si comparatio fiat inter opus Christi et opus Apostolorum, manifestum est quod ministerium universum Apostolorum supponit Christi opus, h. e. redemptionem mundi, qua peccata tolluntur; quatenus vero Apostoli soli considerantur, secundum id, quod prout homines sunt, praestare possunt, eorum virtus eo pertinet, ut eos, qui per Christi pretiosissimum Sanguinem sani facti sunt, sanos conservent impediendo corruptionem. Haec prae oculis habens Chrysostomus negat esse laboris Apostolici liberare homines a putredine peccatorum, ea nempe liberatione quae propria est redemptionis Christi, quam ipsa comparatio inter opus Christi et Apostolorum suggerit, Apostolis autem tribuit virtutem servandi liberatos a putredine. De potestate vero ministeriali remittendi peccata, quoniam comparationes a Christo (ibid. Matth. I. c.) adhibitae eius notionem non ingerebant, nihil Chrysostomus affirmat; nec postulandum est ut scriptor quilibet ubique dicat etiam quae posset dicere vel quae etiam congruenter dicerentur. Cf. proinde testimonium eius paulo ante recitatum.

PARERGON.

I. Quaestio hic occurrit satis impedita, utrum spectata tantum rei essentia, praecisione facta a praecepto positivo Ecclesiae, forma alia deprecativa, quae dicitur fuisse olim in usu in Ecclesia graeca et latina et ultimis seculis quoque in Ecclesia graeca, sit per se sufficiens non secus ac indicativa. Non pauci Scholastici cum s. Thoma haec et opusc. XXII. censent essentialem formam positam esse in verbis indicativis. Cf. Lugum D. XIII, §. 4. et praecipue Simonnet Inst. Theolog. Tom. III, Tract. XV, Disp. 8. Contra sentit Morinus L. VIII. Quid in quaestionem veniat breviter proponemus, nihil proprie definientes.

Itaque quaestio est utrum absolutio exprimenda sit forma indicativa, an possit efferri quoque alia forma, quae dicitur deprecativa. Quaestio non est de necessitate tantum praecepti, de hac enim in

Ecclesia latina ambigi nequit; sed quaestio est de necessitate medii ad sacramentum, ita ut sine forma indicativa, sacramentum ex ipsa divina institutione, ideoque ex essentia sua sit nullum. Aliis verbis: quandoquidem in sacramentis verba efficiunt quod significant, in sacramento vero poenitentiae absolvit sacerdos hominem a peccatis, et ad valorem formae absolutionis ex essentia rei id tantum ab omnibus exposcitur ut significet id quod facit sacerdos; quaeritur utrum ipse actus absolvendi, eiusque effectus exprimatur sufficienter per formam aliquam deprecativam.

Specimina formae indicativae haec sunt: *Ego te absolvo a peccatis tuis; habeo te absolutum* (quae non habet tantum vim declarativam, sed effectivam. Cf. Petrum Arcudium loco inferius citato); ad eam refertur et haec alia: *Sis a me absolutus* et haec quoque: *Deus te absolvat per ministerium meum*.

Exempla formae deprecativae haec sunt: *Deus te absolvat: absolutionem peccatorum tibi tribuat Deus*. Tum ista: *Deus remitte, condona peccata huic servo tuo*. In hac enim postrema vel simili, cum sermo convertatur ad Deum, licet sit forma imperativa (quae tamen et deprecativa esse potest), nequit subesse sensus nisi deprecativus.

Quoad formas indicativas, priores ex illis: *Ego te absolvo*, vel *Habeo te absolutum* exprimunt directe et immediate actuale exercitium potestatis, eiusque efficaciam in poenitente. Tertia: *Sis a me absolutus*, differt ab illis tum quia in ea ponitur in recto subiectum quod absolvitur et in obliquo is qui absolvit, tum quia ipsa effertur modo imperativo, illae autem indicativo. Exercitium vero actuale potestatis et ab hac tertia manifestatur, cum dicitur: *a me absolutus*. Imperium non ad Deum, sed ad ipsum poenitentem dirigitur: Agitur enim de verbis efficacibus, quae faciunt quod significant, ac si diceretur: *Volo te esse absolutum*.

Quarta *Deus te absolvat per ministerium meum* (supple hoc) manifestat tum voluntatem ministri ut quis sit absolutus, tum exercitium potestatis subordinatae Deo, tum voluntatem ut quis sit absolutus a Deo quidem, sed mediante huius potestatis, quae est potestas Sacerdotis, exercitio: ideoque significat exercitium potestatis ministerialis.

Formae huiusmodi dicuntur indicativae; et priores quidem propter ipsam formam grammaticam, quam habent, quae actuale exercitium potestatis eiusque efficaciam et quidem tanquam rem praesentem directe vi verborum manifestant: aliae vero indicativae censentur, quia quamvis modo grammatico differant, idem tamen, nempe actuale exercitium potestatis sive ipsam causam ministerialem actu se

exercentem directe et ipsae propter verba simul sumpta, quae adhibentur, manifestant. Hic est character proprius formae indicativae.

Forma, quae deprecativa dicitur, si grammatice spectetur, et imperativa dici potest; ad utrumque enim valet idem modus, qui a grammaticis imperativus dicitur, ad imperandum et ad orandum. Verum cum volumus aliquid a Deo fieri ipsumque ad agendum provocamus, sermo noster, si serio fiat, nequit esse imperativus; quis enim serio Deo imperet? sed solum deprecativus esse potest.

Nihilominus duplex deprecatio distinguenda, *deprecatio simplex* et *deprecatio*, ut ita dicam, *potestativa*. Ea est sola oratio beneficium petens; haec est oratio quidem beneficium petens, sed simul significans sententiam petentis circa aliquid, quam petens ex auctoritate fert. Quemadmodum iudex a principe delegatus ad aliquam causam, in qua ipsius regis iura aguntur, cognoscendam et definendam, si rem totam, rege praesente, ita concluderet: *Rex te absolvat*, vel, *Rex, rogo te, absolute illum*, quamvis haec verba deprecativa forent, continerent tamen et ipsis partibus audientibus significarent sententiam iudicis: non esset proinde deprecatio simplex, sed *deprecatio potestativa*.

Forma ergo deprecativa per se immediate manifestat affectum seu voluntatem proferentis illam, ut aliquid ab alio fiat, nempe heic voluntatem hominis ut quis a Deo sit absolutus; in quo differt forma deprecativa ab indicativa, quae manifestat ipsum loquentem facere quod per eam significatur. Si autem est *deprecativa potestativa*, ita manifestat voluntatem huiusmodi ut simul sententiam eius, qui eam ex auctoritate fert, repraesentet, ipsumque iudicem tanquam actu iudicantem, ideoque et cum Deo absolventem nobis sistat. Discrimen proinde inter hanc formam et indicativam hoc est, quod per formam indicativam iudex et sententiam fert et diserte simul plus minus per ipsa verba, quae profert, indicat se potestatem suam absolvendi exercere, significat scilicet *in actu signato*: per formam vero deprecativam sententia quidem profertur, exercitium vero actuale potestatis per ipsam sententiam latam significatur, significatur videlicet *in actu exercito*.

II. His declaratis accedamus ad quaestionem. Quaestio est utrum ex ipsa Christi institutione ideoque ab ipsa essentia rei institutae a Christo postuletur forma indicativa pro valore actus. Iam vero verba Christi haec sunt *quorum remisistis, quaecumque solveritis*. Porro ex his (supposita iam data in antecedentibus eorum declaratione) colligitur oportere ut ministri freti potestate solvendi et remittendi, potestatem eam actu exerceant sententiamque ferant, ut peccatorum remissio fiat; at necesse ne est ut sententia feratur modo indicativo?

Id ex verbis solis Christi, quibus facit potestatem solvendi non videtur colligi posse: nam iisdem verbis fit quoque potestas excommunicandi et absolvendi ab excommunicatione; solutio autem excommunicationis ferri valide potest forma deprecativa; sufficit scilicet ut significet qui solvit se velle ut quis sit solutus.

Itaque quaestio huc redit: utrum Ecclesia vel traditione sua doctrinali vel ipsa praxi docuerit nos ita reapse accipienda esse verba Christi, ut explicite oporteat absolventem dicere se potestatem suam exercere his verbis *Ego te absolvo*, vel similibus. Atqui huc revocata quaestione, solutio non est adeo facilis.

III. Sane si praxim Ecclesiae graecae consulamus, negari non posse ait Morinus, eam usurpasse satis communiter formam deprecativam. Testes huius rei sunt libri rituales, qui exstant, conscripti propter instructionem Sacerdotum excipientium confessiones et Sacramentum secreto administrantium, qui res minutissimas persequuntur, de quibus nulla suspicio esse potest quod aliquam rem alicuius momenti multoque minus essentialem omittant. Huc spectant liber poenitentialis editus a Ioanne Ieiunatore Episcopo Constantinopolitano sub finem seculi VI eiusdemque sermo de poenitentia, qui est instructio ad recipiendas secreto confessiones, dandas poenitentias et ad solvendum, Enchiridion libelli poenitentialis descriptum ex vetusto codice a Thoma Basilisco graeco diacono et absolutionis formae exstantes in Codice Allatiano. (Vide Morini in Appendice sui operis et Edmundum Marthene De Antiquis Ecclesiae ritibus L. I, p. II, c. 6. Ordine XX.). Porro in his formulae istae occurrunt *Deus indulgeat tibi omnia peccata, remittat tibi etc. Deus haec omnia suscipiat, quae confessus es mihi, remittens tibi omnia. Ipse Domine parce, dimitte, condona peccata servi tui; dissolve per os meum maculas animae ipsius.*

Contra in codice Allatiano (penes Morini l. c.) qui recens est, praeter supradictam formam exstat et ista: *Humilitas mea* (Episcopus est qui loquitur) *habet te condonatum.*

Item Claudio Cardinali Guisano seiscitanti responsum datum est a graecis schismaticis degentibus Venetiis an. 1571 circa dogmata controversa cum Protestantibus; et in quaest. IX. De Poenitentia haec ab ipsis exhibetur forma absolutionis: « *Benignus Deus... nunc tibi peccata omnia condonabit, quae modo coram ipso indignitati meae recensuisti, remittetque tibi omnia...* » (cf. Emmanuel a Schelstrate Acta Orientalis Ecclesiae contra Lutheranos pag. 138.).

Rursus Gabriel Metropolita Philadelphiensis recens auctor an. 1600. in libello de Sacramento Poenitentiae haec docet de forma eiusdem: « Forma poenitentiae est potestas a Salvatore nostro solis suis disci-

pulis et Apostolis concessa... Dicit enim Dominus: quaecumque ligaveritis etc. Ideo sanctae confessionis legitimi ministri peccatori ad eos accedenti dicunt: *Gratia Sanctissimi Spiritus per meam humilitatem habet te condonatum et absolutum.* Cf. Emmanuel a Schelstrate. *ibid.* pag. 329.

In Enchiridio de statu hodierno graecorum edito a Christophoro Angelo graeco an. 1619. haec repraesentatur forma absolutionis: « *ex ea potestate quam Christus Apostolis concessit, dicens, quaecumque etc... absolveris et criminum purus pronunciaris a Patre Filio et Spiritu S.* ». *Ibid.* p. 358.

Huiusmodi tamen formulas indicativas, quae in recenti aetate apparent, non fuisse vel tum adeo frequentes inter graecos colligi potest ex testificatione Clementis VIII in Instructione super ritibus italo-graecorum data anno 1595; hoc enim decernit: « In casu necessitatis presbyteri graeci catholici possint latinos absolvere. Utantur formula absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta, et postea, si voluerint, dicant *orationem illam deprecativam, quam pro formula huius absolutionis dicere tantum consueverunt.*

Ceterum ipse Petrus Arcudius, qui censet solam indicativam formam esse validam (in Opere de Concordia Ecclesiae Occidentalis cum Orientali in administratione septem Sacramentorum L. IV, c. 3) nullam potuit ex Euchologiis Graecorum recitare formam indicativam, quam deesse ibi fatetur; ait quidem aetate sua adhiberi a multis huiusmodi formam: *habeo te condonatum*, sed eam non passim ab omnibus usurpari fatetur.

Haec si simul conferantur, constabit morem communem magis recentium graecorum, qui a Clemente VIII significatur, cum more veterum satis convenire, ideoque morem recentium non corruptionem, sed continuationem potius illius usus esse, quem tradidit Ioannes Ieiunator. Et sic ex Ecclesiae graecae usu videtur probari forma deprecativa.

IV. Ad Ecclesiam latinam quod spectat, plures nobis praesto sunt veteres libri poenitentiales seu potius rituales. Codices, qui illos exhibent, etsi aetatem octavi seculi non excedant, referunt tamen ritus administrandi Sacramenti praescriptos et usurpatos antiquitus. Generatim repraesentatur in huiusmodi libris reconciliatio ea poenitentium, quae ab Ecclesia fiebat feria V in Coena Domini, cum feria IV Cinerum in capite Ieiunii data esset poenitentia: subinde vero exhibetur etiam administratio secreta Sacramenti poenitentiae et reconciliatio infirmi in articulo mortis (videantur Morini et Marthene l. c.).

Iam vero in pluribus ex his libris, praesertim iis, qui exhibent

publicam reconciliationem poenitentium in Coena Domini, exstare dicitur vel sola forma absolutionis deprecative, vel simul cum indicativa ita ut eodem loco habita videatur, vel identidem cum absolutio indicativa exstat in ordine ad dandam poenitentiam in die IV Cinerum, forma deprecative adest in ordine ad reconciliandos poenitentes in Coena Domini.

Quam absolutionis formam deprecativam vetustam esse pro ipsius Sacramenti administratione suadent quaedam loquendi formulae Patribus usitatae. Sic Augustinus Serm. CCCXCII, n. 3. « Agite poenitentiam qualis agitur in Ecclesia *ut oret pro vobis Ecclesia*. Nemo dicat: occulte ago, apud Deum ago; ergo sine causa dictum est: quae solveritis etc.? » Et De Baptis. L. III, c. 16. « Manus impositio (in reconciliatione) non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud nisi *oratio super hominem?* » s. Leo epist. XCI. « Multum utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem *sacerdotali supplicatione* solvatur ».

Verum omissio quod in non paucis ordinibus veteribus occurrunt quoque formulae indicativae simul cum deprecativis (cf. Marthene l. c.), haec licet advertere. 1° Ex his ordinibus qui reconciliationem repraesentant poenitentium in Coena Domini haud recte colligitur non fuisse apud omnes in usu pro administratione Sacramenti Poenitentiae formam indicativam, eo quod in illis non occurrat nisi forma deprecative, vel haec ita commixta cum indicativa ut alterutra suffecisse videatur. Nam ut advertit Franc. Anton. Zaccaria (Biblioth. Liturg. Tom. I, Dissert. II, c. 6. n. 8.) etiam nunc in nostro Pontificali Romano edito et confirmato a Benedicto XIV pro eadem reconciliatione non occurrunt nisi formulae deprecativae: at quis exinde concludat nunc non usurpari formulam indicativam pro absolutione sacramentali?

Quod autem veteres ii libri poenitentiales exhibeant eundem ritum publicae reconciliationis, qui in praesenti exstat in Pontificali Romano, vel eum ritum quo publica reconciliatione et iure ad Sacramentum altaris concessis, remissio quoque poenae residuae, si qua foret, seu plenaria ut nunc dicimus indulgentia concedebatur, probabimus suo loco, ut iam plus vice simplici monuimus, in Append. §. II. Ceterum in iis libris ritualibus seu poenitentialibus, in quibus agitur de secreta administratione Sacramenti aut de reconciliando poenitente morti proximo frequenter occurrit forma indicativa (cf. penes Marthene sub ordine 6° et 15°, penes Morinum Codicem 1.° Turonensem, codicem Abbatiae s. Victoris, et librum poenitentialem Egherti Eboracensis Archiep. sub finem). Deest quidem in nonnullis, sed huius defectus ratio esse potest quod in iis codicibus notata non

fuerint nisi ea quae, ut caeremoniae accedebant formae sacramentali, quam omnes Sacerdotes nosse supponebatur.

Forte et de his ordinibus pari ratione loquendum est ac de prioribus; scilicet in ipsis exhiberi eum ritum, qui etiam nunc prostat in Romano Rituali pro visitatione infirmi et commendatione animae; ideoque formulas absolutionis sive deprecativas sive indicativas ibi contentas non esse sacramentales.

Ad Patrum locutiones quod spectat, advertimus verba Augustini secundo loco citata de publica reconciliatione loqui. Verba autem eius priore loco citata non excludunt absolutionem forma indicativa prolata. Ipsaque absolutio licet indicativo modo prolata potuit ab Augustino vocari *oratio Ecclesiae*, vel a Leone *supplicatio Sacerdotalis*, sive quia coniuncta est cum orationibus, quarum est pars, sive quia cum sit actus ministerialis implicite continet rationem supplicationis.

Dices: si in coena Domini absolutio Sacramentalis non dabatur, infirmatur vis argumenti, quo demonstratur ex antiquo more potestas in Ecclesia remittendi peccata coram Deo: nam Patres veteres, ut ex Cypriano patet, de ea reconciliatione loquuntur, quae poenitentibus publice dabatur; et praeterea si eae formulae possunt accipi de alia reconciliatione quam Sacramentali, non est cur alia dicta Patrum de reconciliatione sacramentali accipiantur.

Haec quidem moverunt egregium Theologum (Francolini Disciplina Poenit. L. II. c. 1°.) ut concederet in ea publica reconciliatione absolutionem datam ab Episcopo fuisse sacramentalem. Verum id non censemus necessarium. Nam 1° falsum est cum Patres de potestate remittendi peccata loquuntur, ad solam reconciliationem publice poenitentium animum advertere, nam frequenter de ea re ne verbum quidem faciunt, et de omnibus peccatis loquuntur, quorum plurima poenitentiae publicae non subiiciebantur, et de remissione loquuntur, quae secreto quoque dabatur. 2° Etsi de ea publica reconciliatione identidem loquantur, non sequitur formulas absolutionis contentas in libris poenitentialibus usurpatis in ea reconciliatione fuisse sacramentales; nam absolutio sacramentalis, quae pars erat huius reconciliationis, iis poenitentibus dari potuit secreto singulis ante eum publicum ritum: ita autem rem se habuisse, suo loco docebimus. Quocirca ea reconciliatio publica, quatenus talis, eo spectasset ut poenitentibus plena remissio poenae concederetur, iidemque ad participationem altaris et fidelium coetum in Ecclesia admitterentur, quo complebatur absolutio data a peccatis coram Deo. 3° Quod dicta Patrum interpretemur de reconciliatione sacramentali, id non pendet ex formulis, quibus ipsi usi sint in reconciliandis Deo poenitentibus,

sed ex disertis eorum affirmationibus circa potestatem remittendi peccata, atque ex controversia novatiana.

Itaque non videtur ex his monumentis Ecclesiae latinae demonstratus usus antiquus in eadem Ecclesia formulae deprecativae tantum in administratione Sacramenti.

V. An alia monumenta Ecclesiae latinae quaestioni solvendae magis idonea exstant? Ex veteribus scholasticis affertur a Morino (L. VIII, c. 9. n. 23) Petrus Cantor Parisiensis Theologus sub initium seculi XIII nobilis, qui in Summa de Sacramentis (inedita exstat in Bibliotheca Victoriana) haec habet: « Conversus quidam in extremis laborans nullo modo poterat induci ut confiteretur Abbati, adeo timebat eum: confessus est autem Priori maxima cum contritione, ut videbatur, et petiit ab eo absolutionem. Prior respondit ei quod non poterat eum absolvere, sed ex quo non volebat confiteri Abbati vel absolvi ab eo, Deus absolveret eum. Ita dixit ei. Occulte ista omnia sunt facta. Mortuus est conversus et sepultus in coemeterio, quia non fuit manifesta eius inobedientia. Quaeritur ergo utrum ex talibus verbis Prioris quando dixit: *Absolvat te Deus*, fuit iste absolutus. Quia si Abbas eum absolveret, non aliter diceret. Item possit ne ex post facto ratam habuisse illam absolutionem ». Porro « neutri quaestioni (subdit Morinus) respondet, ut saepe facit, quando illi videntur difficiles. Sed quaestioni occasio et ratio manifeste demonstrant nullum alium reconciliationis modum, quam deprecatorium cognovisse ». Id quidem evidenter non consequitur, sed tantum quod Abbas vel Abbates illius monasterii ea tantum formula utebantur; quo posito cum Prior eadem formula esset usus, quaestio restabat de validitate absolutionis datae a Priore, eo quod danda fuisset ab Abbate, vel potius eo quod Prior non videbatur habuisse intentionem absolvendi. Cum vero nihil respondeat Cantor, non docemur ab eo an usus huius formulae fuerit necne aliis communis.

Provocat Morinus deinde ad Guillelmum Episcopum Parisiensem, qui in cp. 19 de Sacram. Poenitentiae inquit: « Neque more iudicum forinsecorum pronuntiat Confessor: *absolvimus te, non condemnamus*, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat. Et nemo dubitat quin possit et debeat confessor orare Patrem misericordiae ut etiam remittat peccata peccanti, quae nec ipse poenitens in se cognoscit. Unde in confessione poenitentium non censuerunt dicere sacerdotes: dimittat tibi Deus peccata, quae confessus es mihi, sed potius omnia ». Hoc testimonium nihil probat. Nam non est opus ut verba ultimo loco relata sint verba absolutionis sacramentalis: quod

enim probare vult Guillelmus, nempe *omnia* peccata dimitti, pariter efficitur ex verbis deprecativis, quae praemittuntur absolutioni. Quod autem primo loco negat Guillelmus non est usus formulae indicativae, sed usus formulae pluralis, quae maiestatem quandam et fastum sapit. Nec dicit formulam esse orationem simpliciter, sed ait quod Sacerdos *magis* orationem facit: quatenus reapse orationem praemittit, et sic significat se ministrum esse Dei primario absolutionis.

Tertio producit ab eodem Morino Alexander Alensis in Summa, p. IV. q. XIV. m. 2. a. 2. ubi docet absolutionem fieri a Sacerdote expressione talium verborum: *Ego absolvo te, vel Dominus absolvat te*. Hoc quidem testimonium non inepte affertur a Morino: verum dubitamus an indicetur duplex modus formae, an duplex pars formae, altera accidentalis, *oratio*, altera essentialis, *sententia iudicis*.

Tandem ille auctor anonymus opusculi, quod impugnavit s. Thomas (Opusc. XXII. de forma absolutionis), aiebat (eiusdem Opusc. c. 5.) « quod vix triginta anni sunt quod omnes hac sola forma utebantur: *Absolutionem et remissionem etc.* ». Huius autem testimonium non videtur posse reiici ex toto; quamvis enim excesserit in amplianda universalitate huius usus, quomodo id potuisset aut ausus esset effingere et divinare, si reapse hic usus non exstitisset? Et sane s. Thomas respondet « Quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? Sed hoc certum est, quod iam sunt mille ducenti anni et amplius, quod dictum est Petro, quodcumque solveris etc. Non negat scilicet implicite affirmatum usum, sed eidem, quicumque is fuerit, opponit verba Christi. Nihilominus iam ibid. Thomas cap. 1. appellat « communem sententiam magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt decernentes absque his verbis: *Ego te absolvo*, absolutionem non esse per solem deprecativam orationem ».

His omnibus Ecclesiae Latinae perspectis et rite consideratis monumentis, profecto non satis evidenter constat quod forma quoque deprecativa absolutionis Sacramentalis fuerit in usu olim atque probata ipsi latinae Ecclesiae.

VI. Ceterum ex decreto Clementis VIII videtur pluribus confirmari ex auctoritate quoque Romani Pontificis sufficientia formae deprecativae saltem penes graecos, ideoque sufficientia eius, si sola essentia rei spectetur. Praeceptum enim utendi forma florentina, quod immediate subiungitur declarationi, qua statuit posse graecos presbyteros catholicos absolvere latinos, eo spectare videtur ut praescribat modum, quo graeci presbyteri cum absolvunt latinos, se ge-